



DISSERTATIO IN GEMINAS ILLAS HEBRÆAS VOCES LAMNAZEACH, & SELA.

1756 1756 1756

ARTICULUS PRIMUS.

DE LAMNAZEACH.

Frequentissime in fronte Psalmorum vox illa inscribitur, redditurque à Vulgata: *In finem*. Cum vicissim vox *Sela* sæpius recurrat in textu Psalmorum, nunquam tamen in fine versiculi, & post absolutam sententiam.

Porro *Lamnazeach* redditur à Septuaginta: *In finem*, vel *pro fine*, quod Interpretes plures morali & mystico sensu referunt ad Jesu Christi adventum; venisse enim in fine sæculorum Apostolus illis verbis 1. Cor. 10. 11. insinuat: *In quos fines sæculorum devenerunt*. Spectare etiam ad Messiam, exitum & consummationem Scripturarum, Rabbiorum nonnulli (a) docuerunt. Interpretantur alii de vocatione gentium & reprobatione Judæorum; alii de aternitate vel Judicio postremo, vel de Resurrectione Jesu Christi. Alii usurpata credunt ea verba: *In finem*, pro semper [b]; quasi scilicet designaretur, nunquam à cantando eo Psalmo à viris Dei servitiis additis cessandum fuisse. Chaldaus vertit: *Pro laudando*, sive *in laudem*; quæ omnia satis probant, de sensu hujus vocis ne inter Judæos quidem convenire.

Interpretes Græci, qui post Septuaginta paruerunt, in ea vertenda discrepant. Aquila reddit: *Victoriam danti*; Theodotion: *In Victoriam*; Symmachus: *Carmen victorie*. Sed relicto semel titulo, & mente ad examen Psalmi revocatâ, vix occurrit aliquid titulo illi congruens; tantum enim adest ut gratiarum actiones, & laeta pro victoria carmina pangantur, ut sæpius non nisi querelæ luctusque ac tristitia, lugubri potius titulo quam laeto designanda, occurrant. Sed hanc objectionem (c) occupant reponentes, eo titulo: *Carmen victoria*: solum designari, in eo Psalmo decantando ingeminandam esse vocem, ut ad eam tollendam quantâ majori contentione Cantores inter se veluti provocari videantur; quemadmodum & in Hymnis ac Prosis Ecclesiasticis nostrâ etiam ætate quandoque servatur, ut duæ chori

partes ad tollendam altissimè vocem se invicem provocent; cujus deinde remissio ac nova insuper elevatio succedit. Designari etiam potuisse credunt, eos Psalmos veluti in præmium Musicis illis datos, pro relata de fratribus suis in cantandi certamine victoriâ. Sed hæc ad libitum conficta, ultro etiam negarentur.

Sanior recentiorum Interpretum pars post Rabbinos autumat, eam vocem reddendam: *Præfesto Musicis*; Levitæ nempe qui canentibus in Templo præerat. Hujus opinionis, quam præ cæteris probamus, hæc sunt momenta. Hebræum *Namazach*, primitivum vocis *Lamnazeach*, sonat præesse Operibus (d) vel Operariis; Cantorum, vel Cantatricum, vel tandem musicis instrumentis canentium, seu virorum, vel puellarum (e) turmas deducere. Nulla profectò in titulis Psalmorum difficultas, quæ, postremâ hæc significatione constitutâ, non statim facilis solvatur. Veram igitur non immeritò arbitramur; postquam maximè cæteras literali sensui minus congruere demonstravimus.

Erant in Templo Domini Levitæ sanè frequentes, laudibus Domini celebrandis atque musicis instrumentis canendo destinati. Omnes Levitarum familiæ in eo munere, sive in custodiendis foribus, & excubiis in Templo agendis, vel tandem in obsequium Presbyterorum, dum sacro ministerio vacarent, occupabantur. Singulis illis familiis suis erat Præfectus, vel Princeps, cui Præfecti alii plures parebant. Horum censum fusius deductum legas 1. Par. 6. 31. in hæc verba desinentem: *Isti sunt, quos constituit David super Cantores Domus Domini*. Potissimi inter illos Asaph, Heman, Ethan, & Idithum. Porro Asaph cæterique similibus peritiâ, canendis pangendisque carminibus occupabantur; utrumque enim in se conjunxerant munus, & Prophetæ nempe & Cantoris [f]. Singulæ Cantorum classes musicorum instrumentorum varietate distinguebantur; & peritissimus quisque Præfectus, quem *Mnazeach* appellabant, constitutus. Laudatur in 1. Par. 15. 22. Chonenias, tanquam

d 1. Par. 23.
4. & 2. Par. 2.
2. 18. & 34.
13. & 1. Esdr.
3. 8. 9. Dan.
6. 3.
c 1. Par. 15. 21.
Abac. 13. 19.
& 2. Par. 2.
2. Psal. 11. 1.
& 45. 1. &
59. 1. & psal.
100.

f 1. Par. 29.
30.

a Kimchi ex Talmud. Rab. Simeon in lib. Jalkut.

b Saadaias Gaon, & Ferrand. hic & Muis, quasi *lenezach*; non *lamnazeach*.

c Perez, Ferrand.

fororâ & eleganti voce insignis. *Chonenias Princeps Levitarum præerat ad præcendam melodiam*.

In veteri Musica una tantum melodiæ pars innoverat, erat enim varietate tonorum, & harmoniâ ex pluribus vocibus resultante, quæ nostrâ ætate delectat, desinita. Idem vocibus omnibus & instrumentis in harmonia tonus & tenor; scribere enim parum norant, notasque musicas penitus ignorabant. Veteres illi (recentius est enim Stratonici inventum) (g) solo usu & auscultatione Magistri arte dicebant, quemadmodum ferè nostrâ etiam ætate pueri apud Turcas ad cantandum instruuntur. Itaque in publicis cæremoniis Præcentore opus erat, qui classem suam vel chororum validâ robustâque voce deduceret; qua tantum præstabat quantum hodie musicus Præfecti aptâ ad numeros gestulatione. Non abs re pariter credimus, frequentes fuisse in ea musica repetitas carminum complexiones; nec rarè præcentis magistri ductum succinenti modulatione chorum sequi consuevisse.

g Præfatus Phoenias apud Casaubon. in Athen. lib. 2. cap. 12.

h Vide Plutar. de Musica & Origen. in Ps. 38.

i Psal. 11. 1.

k Psal. 31. & 51.

l 1. Par. 15. 18. 20. Psal. 9. 1.

pariter in Aula Principum choris tam Cantorum, quam Cantatricum Præfecti; neque debito erga Canonicas Scripturas obsequio detractum aliquid credimus, si sacros aliquos Psalmos decantatos quandoque in cæremoniis civilibus suscipemur, ut in triumpho Principis, vel cum latum illi expeditionis suscipiendæ omen fieret, vel tandem cum nuptiarum illius sive initi Regni pompa celebranda esset; qui deinde Psalmi in eos usus scripti ad sacras cæremonias translati sunt.

Cum idem essent plerumque Prophetæ pariter & Poetæ, & populi Regumque studia omnia ad pietatem & religionem tenderent, quæ primùm scripta erant carmina in usus civiles & minimè sacros, à suis tamen Authoribus Dei Spiritu afflatis consecrabantur. Nihil enim viri illi sanctissimi æquè intendebant ac Dei laudes & preces. Quare in Templum & usus sacros transferri, quod prohiberet nihil erat; neque Præfecti musicæ sacræ religione ullâ absterrebantur, quin aulicas vel civiles pompas, sacras illas inprimis & religiosas deducerent, præerentque.

Suus erat *Mnazeach* in lugubri pompa, in victoria aliqua, sive in Festo aliquo publico celebrando. Inter Psalmos enim musicæ Præfectis inscriptos cum lætis pariter & jucundis lugubres miscentur & tristes. Et nostrâ etiam ætate vetustissimâ receptum consuetudine obtinet apud Orientales, ut in lugubri pompa validâ præ omnibus præstans voce deducendis feligatur choris eorum, qui defuncti laudes prosequuntur, & funera lugent (m). Viri foemineve arctiori necessitudinis vinculo cum defuncto conjuncti, lamentationibus præstant, quibus deinde adstantium omnium chori succinebant. In claris funeribus lugubri cæremoniæ deducendæ lamentationum tam virorum quam mulierum turma conducebatur (n). Imitari se dicebat Diogenes Philosophus apud Laertium lib. 6. eos qui choris musicorum præstant, majori semper vocis contentione inclamantes, ut inclinanti per se voci maximè in cantu violento & elato succurrerent.

Scriptum à se carmen David plerumque ad Asaph notis musicis tradendum, concinendumque à clientibus ipsis in Templo mittebat (o); hinc datum viro in Scriptura nomen: *Prophetas juxta Regem* (p). Ita pariter receptum apud Græcos, ut qui carmina scriberet, cui maximè vellet, Musico ad numeros canenda traderet; accidebat autem non rarè in solemnibus populi concionibus, cum pretium Musicus distribueretur, ut carminis Author indonatus abiret, cum interim Musico ad cantandum electus, magnifico premio & coronâ donaretur. Ita pariter ait Origenes ad Ps. 38. Hom. 1. init. cum in Scriptura legitur: *Victori Idithum* (ita enim vertit cum Græcis Interpretibus vocem *Lamnazeach*) non Idithum Psalmi Author designari credendus est, sed Musico artis suæ peritissimus habendus, cui Rex sapientissimus canendi victoriam adjudicavit. Ita sentit Origenes.

m Bellon. Ob. serv. 1. 4.

n Joseph. lib. 2. cap. 15. de bello in Latin. aut cap. 30. in Græco.

o 1. Par. 16. 7. juxta Hebr. p 1. Par. 25. 2.

Neque musicæ Præcentores illi, sive *Mnazeach* in cœtibus tantum religiosi choreas & cantilenas præstant; erant enim *Differt. Calmet. Tom. I.*

Quantum ex inscriptionibus plurimum. Psalmorum colligimus, David ipse, tantus Rex, à sua dignitate alienum non censuit, si canentibus ipse præiret, & ad musicas notas sacra illa carmina concinnanda susciperet. Musicam ille quidem amabat, omniaque norat ejus artis mysteria; nec sanè canendi musicis instrumentis imperitus, ipse pariter divinæ Majestatis gloriâ ad eò totus rapiebatur, ut à majestate suâ alienum non censeret, si & ludere instrumentis coram Domino, & præire Cantoribus in quibusdam anni Solemnitatibus videretur. Hanc opinionem insinuat inscriptio Psalmi 35. Servo Domini ipsi David Præfeco musicæ; & altera. Psalmi 10. David Præfeco Musicæ. Vide etiam Titulos Psl. 13. & 18. & 19. & 20. & 21. &c.

a Habac. 3. 3. 9. 13. b Vide Septuag. apud Euseb. & Hieron. in Psal. 2. 5. Quamvis nihil legatur neque in Romana, neque in Complutensi Editione. Codex Reg. 222. legit Diapsalma in vers. 2. Psal. 2. Vide nov. Edit. Hexaplor. in Psal. 2. vers. 4. c Ita Syn. & Theodotus, apud Origen. citatum à Hieron. Ep. ad Marcellam. & Suidas. Ita & Theodoret. Præfat. in Pse. Hieron. ad Marcel. de voce Diapsalma. Quidam Diapsalma dixerunt esse commutationem metri, alii pausionem spiritus, nonnulli alterius sensus exordium; sunt qui rythmi distinctionem. f Theodoret. Præfat. in Psalmos. Ita Euseb. Præfat. in Psal. pag. 8. g Cosmas Monach. pag. 223. nov. Coll. Græc. PP. tom. 2.

ARTICULUS II. DE SELA.

Vox Sela septuagies in Textu Hebræo Psalmorum, & ter in Habacuc (a) recurrit. Frequentius legerunt Septuaginta in suo Exemplari Hebræo; cum semel apud illos in Psl. 2. 3. & semel pariter in Psl. 3. 6. legatur, quo in loco nihil apud Hebræos (b). Scribunt etiam in Psal. 9. 17. Ode Diapsalmatis, quod respondet Hebræo: Canticum Sela; cum tamen in eodem Hebræo nihil tale occurrat. Variant quidem inter se aliquantulum eâ in re Editiones & Exemplaria Græca, sed quam innuimus lectionem optimâ quæque Editiones servant. Quarendum modò de vocis usu & significatione.

Septuaginta reddere solent plerumque Diapsalma (c), quod interpositum in canendo silentium significat, juxta S. Augustinum in Psal. 4. seu vocis inflexionem juxta Suidam (d) & Theodoretum. Malunt alii novum eâ voce sensum, sive novi carminis genus designari (e); sive pausionem vocum, solis interim ludentibus instrumentis; seu vicissim instrumentorum cessationem, voce cantilenas prosequente; namque authore S. Hieronymo ibid. Psalmi tunc temporis junctâ voce ad organum canebantur. Addit demum idem S. Doctor, hoc verbum (Sela) superiora pariter inferioraque connectere, aut cerè docere sempiterna esse (nempe nunquam è memoria excutienda) qua dista sunt. Reddit ille plerumque eam vocem semper; quod etiam ab Aquila, quintâ & sextâ Editione, à Symmacho in Habacuc 3. 3. servatum est. Tergum pariter in Psalmos vertit: In perpetuum.

Quidam apud Theodoretum [f] autumant, pausionem esse Spiritus Sancti in Prophetis; alii pausionem potiùs cantus in musica, quod maximè apud Veteres probatum est. Accidit enim non rarò, ait Cosmas Monachus (g), ut Psalmus ab alio choro inceptus alteri canendus traderetur. Posterior hæc pars Diapsalma, prior Canticum Diapsalmatis appellabatur.

Sui autem creduntur destinati Cantores, ut pretiosos illos Psalmos cantarent. S. Hilarius Prolog. in Psl. minùs exactè scribit, Diapsalma, Ita enim reddit vocem Sela, designare imputationem vel Cantorum vel sensuum sive cantus. Gemina fermè habet Cassiodorus Præfat. in Psal. cap. 11. Diapsalma sermonum rupta continuatio; decens ubicumque fuerit, aut personarum, aut rerum fieri permutationem.

Eusebius Cæsariensis in Psl. tantâ confidentiâ Diapsalma exponendum suscipit, quantâ neque oculatus testis asseveraret. Non est, ait, ita vox suscipienda, quasi à Davide sive S. Spiritu scripta fuisset; cum tantum cessationi divina inspirationis designanda apposta sit. Musicæ Præfeci, quorum mediis in Sanctuario David versabatur, eam notam adscribebant; Canebant illi simul laudes Domini, fiducialia unâ pariter instrumenta pulsantes, cymbalum, lyram, Psalterium, ductum affiantis Spiritus sequentibus singulis. Qui primus cæstro illo Divino afflabatur, Canticum ad numeros canendum suscipiebat, cæteris tantum Alleluja succinentibus. Cum inspiratio cessaret, cessantibus pariter instrumentis, Sela sive Diapsalma in Codice adscribebatur. Magis appositè idem Eusebius in Psal. 4. in eam sententiam concedit, quæ vocem Diapsalma pro immutatione sensus, inflexione vocis, metri variatione, & concinnâ complexione exponit (h). S. Gregorius Nyssenus Præf. in Psl. autumavit, vocem illam Sela intimum quemdam & inuictum Divini Spiritus afflatum, & suavem ad pietatem motum in Propheta designare. Cum tota ea fuerit S. Spiritus operatio, pro arbitrio Prophetam agentis, ideo Sela interdum in medio, sæpè in fine, frequentius aliquando, rariùs interdum in Psl. adscribebatur. Hæc Veterum sententia de sensu, & usu vocis Sela.

Recentiorum sententiæ nec inter se satis, neque cum Patribus conveniunt. Sunt qui credant, nullum esse alium vocis Sela usum, & sensum, quam vocis Evovæ in Libris ad usum Chori destinatis; adscribebatur enim in fine Antiphonæ, ut Psalmi cantum designet. Porro Evovæ usurpatur pro secularum amen; neque cantatur unquam, sed Præcentori dirigendo servit. Ita Sela ex illorum sententiâ nota est musica veterum Hebræorum, cujus hodie usus ignoratur. Redundat equidem vox illa in Psalmis, neque, si expungatur, sensus usquam vel sermonis series turbatur (i).

Kimchi, De Muis, Grotius, Genebrardus, Mariana, alique plures notam esse musicam defendunt, qua vocis elevatio designetur; ut proinde eò deveniens Cantor, vel Lector intendere vocem, vel tristem, vel lætam, juxta Psalmi naturam moneatur. Derivant illi vocem Sela à verbo Hebræo Salal, quod sonat viam in aggere struere, aggerem elevare. Addunt aliqui (k), insinuari pariter eâ voce sensus quoddam admirationis, miserationis, indignationis, & gaudii, juxta Carminis indolem

h Vide & in Psl. 23. & 88. pag. 582.

i Vide Geier. Hammond. Forster. Buxtorf. &c.

k Vatabl. Genebr.

sem; ut Sela loco nostrarum interjectionum adscribebatur, veluti à Deus! quale infortunium! qualem dementiam! qualem injustitiam! vel illud: mirabile dictu! Buchananus in Psl. 9. ita reddit: O res perhorris altis condendâ in penetralibus! Calovius plerumque Grotio adversus (l) contendit, notam esse deprimentè vocis, veluti si auditores invitarentur ad lectionem illam ferid reputandam, ac tranquillâ sedatâque mente spectandam.

l Calovius An. rigros. hic.

m Vide Calv. Geier. Fag. Vido & Hieron. ad Marcellam: Apud Hebræos in fine librorum unâ de tribus subnotâ solet, aut Amen, aut Sela, aut Salm.

n Vide Euseb. in Psal. 2.

exprimens cur nupiam alibi, quàm in Psalmis, & in Cantico Habacuc legere-tur? Quæ insuper lingua unâ aliquâ generali voce exclamations simul omnes admirationis, gaudii, doloris, & indignationis exprimeret? Notæ sunt apud Hebræos voces variæ variis passionibus designandis; cur ergo variis hisce exprimentis una eademque vox Sela, vagâ, incertâ latentisque significationis adhibita est?

Qui tandem, uti Vulgata, Syriacus, Arabicus, & plurima Exemplaria Septuaginta, sicut & vetera Latina Mss. (o), sæpiùs Diapsalma vel Sela, tamquam superfluum aliquam redundantemque in Textu vocem, omittunt, æquius illi facile judicasse videntur. Cum enim verbum sit obscurissimum, cujus interpretatio frustra tentaretur; sit æquè proorsus in Textu redundans, ut nihil exponendo sensui conferat; neque ratio Psalmorum poetica hodie noscatur; his facile momentis in eam sententiam duceremur. Origenes, & S. Hieronymus post sedulum ejus rei examen, veterem ambiguitatem exuere nunquam potuerunt. Cujus (Origenis) malum in hac disputatione duntaxat imperitiam sequi, quàm stultam habere scientiam nescientium, ait S. Hieronymus Ep. ad Marcellam de voce Diapsalma. Scitè admodum in eam rem D. de Muis: Hic sine periculo erratur, cum ea res nihil aut parum ad sensum pertineat.

Si semel statuatur, olim Psalterium unicâ contextus serie continuatum fuisse, variamque tum obtinuisse dividendorum Psalmorum rationem; systema aliquod non inverisimile de Sela formandum nobis videtur; nempe ejus vocis adscriptione dirigi sive Lectores, sive Levitas canentes, ut pauserent; quemadmodum in nonnullis vetustis Librorum ad usum Ecclesiæ Græcæ Mss. quo loco exordienda esset Epistola, seu Evangelii lectio, vox Arche nempe initium, quo verò terminanda, Teolos nempe finis, adscribebatur (p). Erat tum temporis maximè necessaria cautio, cum in Officio Ecclesiæ lectiones ex ipso Librorum Codice, vel è Novo Testamento, nullâ capitum divisione distincto, legerentur. Monendus fuerat Lector, quo loco exordienda, quo loco claudenda lectio fuisset.

Olim, & nunc pariter, Sacri Hebræorum Libri uno Scripturæ tenore absque capitulo & versiculorum distinctione continuabantur. Psalterium eandem fortè rationem ac cæteri Libri servabat; quare unde exordienda esset lectio, adscriptione aliqua fuerat demonstrandum. Quòd autem notè illè tum pariter, quando eorum nullus erat usus, servarentur, superstitione fecit, vel imperitia. Ipsâ Kimchi etate, sæculo nempe 12. satis certa Psalmorum distributio non adhuc obtinebat.

In nonnullis Exemplaribus Hebræicis Pentateuchi geminæ hæc voces leguntur, Samech, & Phe; quarum prima, juxta Rabbinos, designat spatium aliquod clausum sive terminatum; altera verò spatium patens, sive principium. Littera Samech facit

o Vetera Psalteria Mss. S. Germani, Carthusia, Romanum & Fab. Stapulensis legunt Diapsalma. Vetus alterum apud eundem Fabrum & alia plura in Bibliotheca Regis, & Colbertinum, omittunt Semper & Diapsalma. Gallicanus, & Codex D. de Mesmes legunt: Semper.

p Simon Hist. Critic. N. T. c. 33.